

§ I. DE OCCUPATIONE.

480. DEFINITIO. occupatio est apprehensio rei corporalis, quae sub nullius dominio sit, animo eam sibi acquirendi. (Ball. P. n. 118) Requiritur ergo :

1º *Res corporalis* quae scilicet dominii objectum esse possit (n. 467) et capax sit proprie dictae apprehensionis, quae cadere nequit in iura incorporealia.

2º Ut illa res *sub nullius dominio* sit. Nam si res jam habet dominium, alius titulus requiritur ut mea fiat. Notandum autem non esse proprie nullius bona quae lex civilis dominio publico addicit, quia privato domino vacant, ex. gr. bona defuncti qui nullum post se heredem relinquit.

3º *Animus rem faciendi suam*. Ita qui domum derelictam occuparet unice ut ibi pernoctaret, eam tali apprehensione non faceret suam ; si vero eam occuparet animo stabilem sedem in ea figendi, apprehensio apta fieret ad dominium acquirendum.

4º *Effectiva rei apprehensio* quae, pro rei occupanda natura, sufficiat ut quis eam rem in suum commodum adhibere possit, puta si quis solum nullius in agrum vel pascua convertat, si animal quod libere vagabatur sub suam potestatem redigat, etc.

Quadruplicem occupationis speciem considerare juvat : occupationem animalium, inventionem thesauri, inventionem rerum amissarum, occupationem bonorum derelictorum seu vacantium.

Punctum I. — De occupatione animalium.

481. Solent Theologi Morales animalia occupanda dividere in tres species : 1º *Silvestria seu fera* vocant ea quae natura sua, etiam in praesenti rerum condicione, libere vagantur, quales sunt per se pisces, leporis, aquilae, leones. — 2º *Mansueta* dicunt ea quae hominum industria naturalem feritatem extinxerunt et hominis consortio assuefiunt, quales sunt columbae, apes, simiae, etc. — 3º *Mansuetia* dicuntur quae hominum societati ita assuefacta sunt ut, quasi natura sua, domesticis usibus inserviant, ex. gr. equi, canes, gallinae, etc.

ASSERTA. I. Animalia mansueta semper manent in dominio illius ad quem pertinent. Ista enim extra hominis dominium vivere non solent ; neque abrumptur vineulum quo cum domino suo constrin- guntur, solo facto evadendi ipsius custodiam, sicut neque aliae res amis-

sae cessant esse domini. Excipe tantum si, in regionibus silvestribus, facta sint omnino efferata.

Ideo numquam occupari possunt tamquam res nullius, sed per se semper cum fructibus suis domino restituenda sunt.

II. Animalia *mansiuefacta* pertinent ad dominum quamdiu, moraliter saltem, sub ejus potestate manent. Ideo, si ejus custodiam evaserint, vel aberraverint, nequeunt ab alio occupari quamdiu manet domino spes rationabilis ea recuperandi, sive quia sponte ad eum redibunt, sive quia ipse, sine magna difficultate, ea per se vel per alios iterum apprehendere potest. Fint autem primi occupantis quando pristinam suam libertatem fuga recuperarunt. (Lugo, de Just. et J. disp. 6. n. 41) Hinc :

1º Columbae, quae ita in alio columbario sedem posuere ut consuetudinem ad pristinum dominum redeundi amiserint, transeunt in dominium illius ad quem columbarium pertinet. Injuste tamen fraudes et artificia ad eas in proprium columbarium alliciendas adhiberentur, nisi consuetudine fieret ut omnes licitum putarent columbas ad se quibusvis artibus allicere. (Lugo, l. c. n. 43) Attamen, quia talis consuetudo raro viget, confessarius debet monere poenitentes ne ullam industriam ad columbas alienas alliciendas adhibeant, cum inde graves dissensiones et odia enasci soleant, ut scite advertit Lehmkuhl. (l. n. 912) Cfr. C. C. a. 564. Columbas autem alienas occidere licet, si graviter agris nocent, nec facile alio medio damnum averti potest. Ratio desumitur non tantum e necessitate damni in futurum cavendi, sed etiam e jure obtinendi compensationem pro damno jam allato : quae plerumque aliter obtineri nequit, cum columbarum dominus vel ignoretur vel de damno illato convinci nequeat, saltem sine magno incommodo. Saepe in lege civili *praesumuntur* columbae graviter nocere tempore sementis et messis.

2º Examen apum nequit ab alio occupari quamdiu in alveario domini manet, vel, etiamsi apes avolaverint, quamdiu manet domino spes probabilis examen recuperandi. Juxta Cod. rur. Belg. (a. 14), proprietarius habet jus examen iterum apprehendendi quamdiu non desiit illud sequi vel repetere ; secus fit primi occupantis, vel, hoc deficiente, ejus qui proprietatem vel usum habet illius loci in quo resedit.

482. III. Animalia *silvestria* sunt nullius, ideoque fiunt primi occupantis, donec nativa sua libertate fruuntur vel ubi eamdem recuperaverunt. Recuperasse autem libertatem censenda sunt, cum pristinus dominus jam nequit ea, sine magna difficultate, iterum apprehendere. Sic enim abrumptur unicum vinculum quo cum ipso conexionem habent.

Hinc deducitur hujusmodi animalia laqueo capta illius esse qui

laqueum posuit; animalia, ita vulnerata vel a cane correpta ut jam auferre nequeant, esse illius qui ea vulneravit vel canem in eadem immisit; pisces nassa captos esse illius qui nassam posuit. Nam in his tribus casibus res nullius moraliter saltem apprehenditur.

Attamen, si quis instrumentum quodvis ex. gr. laqueum, nassam, in fundo alterius, sine consensu domini collocavit, dominus autem animalia capta extrahit, probabilius eadem ad dominum pertinent: quippe quae inter fortuitos fundi fructus computari possint. (Struggl, tr. 6. q. 2. n. 33) Insuper, non esset improbanda consuetudo quae alicubi vigeret, ut ferae vel pisces censeantur illius qui primus ea *plene* apprehendat. Frustra enim bona fides perturbaretur; deinde, propter consuetudinem, fit quaedam compensatio inter varios casus; nec res ipsa, e jure naturae, est adeo perspicua. (Gousset, Theol. Mor. t. I. n. 700)

483. Praeterea quaedam de **venatione et pescatione**, ad forum conscientiae spectantia, statuere expedit. Nempe:

1º Probabilis per se nulla ratione peccat qui venatur aut piscatur contra legis civilis prohibitionem, sive debitam facultatem non coemit, sive tempus aut instrumenta eadem lege prohibentur. (S. Alph. l. 1. n. 145) Non peccat contra justitiam commutativam: siquidem animalia quae capit erant nullius et a nemine realiter apprehensa, ut supponitur. Neque contra oboedientiam peccat, cum recepta consuetudo hujusmodi prohibiciones tamquam mere poenales habeat, nec commune bonum strictiorem obligationem requirat. Per accidens peccare possunt praesertim ii qui crebro illicitae venationi operam dant, ob pericula gravis damni cui se et familiam exponunt, vel ob propositum se tuendi, etiam per aperlam vim, contra silvarum custodes.

Hoc autem verum manet, etiamsi jus venationis vel pescationis alicui concessum est, ceteris exclusis. Hoc enim jus intellegendum est eadem ratione qua accipitur monopolium pro certis mercibus alicui concessum. Nempe, sicut privilegium exclusivum vendendi certas merces non facit ut negotiatio ab aliis facta aduersetur justitiae commutativa, ita nec jus illud exclusivum piscandi aut venandi dat alicui jus strictum ad omnes feras et pisces illius dominii. (Lugo, disp. 6. n. 69) Reparanda tamen foret laesio juris quae fieret per venationem nimis frequentem aut intempestivam, ex. gr. quo tempore ferae prolem procreant, si ita notabiliter minueretur valor juris ad venationem instituendam. Similiter dicendum de pescatione qua pisces notabiliter minuerentur vel penitus tollerentur. (Struggl, l. c. n. 36)

2º Neque peccant per se qui in fundo alieno non clauso venantur aut pescantur. Ratio est, quod animalia quae aufugere possunt, non versantur in potestate domini fundi ideoque, tamquam res nullius, primi occu-

pantis fiunt. Quod verum est, etiamsi ferae vel pisces in silva vel stagno posita sunt a domino: is enim, dum sivit ea pristinam libertatem recuperare, implicite simul dominio suo renuntiavit.

3º Attamen peccant contra justitiam commutativam et ad restitutio- nem praedae tenentur qui animalia occidunt vel capiunt, jam sub domi- nio domini illius fundi posita. Patet ratio: haec jam non erant nullius.

Ut autem animalia habenda sint tamquam sub dominio domini alicujus fundi posita, duae condiciones concurrant oportet.

Prior, ut animalia non tantum in loco clauso versentur e quo exire nequeant, sed ut etiam facile a domino capi possint. Ex. gr. ferae quae in silva satis exigua, muro circumdata, continentur vel pisces natantes in piscina quae facile exhausti possit. Ob rationem contrariam, manent nullius ferae quae vagentur ex. gr. in magna insula ad duas vel tres leucas extensa, pisces in magno lacu natantes ita ut possint facile retia effugere.

Posterior, ut dominus aliquo modo ea apprehenderit. Nam animus acquirendi dominium semper est necessarius. Hic tamen facile habebitur, praesertim ubi non loci natura, sed humana industria, animalia ita inclusa fuerint. Cfr. Lugo, l. c. n. 72 seqq.

Punctum II. — De inventione thesauri.

484. Thesauri nomine in Codice nostro (a. 716) venit omnis res abscondita vel infossa cuius proprietatem nemo sibi vindicare potest et quae plane fortuito invenitur.

Haec ultima verba non exprimunt condicionem essentiale, sed modum ordinarium quo thesaurus invenitur et cui soli lex favere intendit. Duae ergo sunt condiciones omnino requisitae:

1ª Ut res fuerit *hominis manu abscondita*, in re etiam mobili, ut armario, vel terrae infossa. Nullatenus ergo thesauri instar habendae sunt divitiae quae, natura ipsa, in aliquo fundo jacent, ex. gr. venae metallicae vel carbonicae, quae, juxta multos Codices modernos, ad fundi dominum pertinent (C. G. a. 552); nec statua vel sculpti lapides terra obruti proprio sensu thesauri sunt.

2ª Ut dominus illius rei *nulla ratione agnosci possit*. Nec refert utrum jam a longo tempore, ut plerumque fit, an nuper res abscondita fuerit.

Invenire thesaurum dicendum est qui primus eum visibilem efficit, sive per se, sive per operarios *ad hunc finem* conductos; non autem qui jam patefactum primus vidit aut manu apprehendit, siquidem neuter eorum sensu presso rem absconditam usibus humanis reddidit, quod

proprie sonant verba *invenire thesaurum*. (Ball. P. n. 193; Waffel. de Just. t. I. n. 188) Nulla autem realis apprehensio praeter inventionem, saltem ex jure positivo, videtur requiri: cum lex civilis nullam aliam condicionem praeter inventionem requirat. (Laurent. Cours élém. de Droit civ. t. 2. n. 4)

Spectato tantum jure naturali, videretur thesaurus totus tribuendus esse illi a quo inventus est, cum sit res nullius ideoque primi occupantis. Nihilominus cum aliae rationes, praesertim prae*sumptio dominii* favens proprietario fundi in quo thesaurus reperitur, aliam solutionem suadent, convenit inter AA. jus esse penes leges civiles hanc quaestionem dirimendi easque leges in conscientia, etiam ante judicis sententiam, obligare, iis exceptis quae in poenam delicti latae sint. (n. 463) Jamvero juxta Codicem civilem nostrum (a. 716):

1º Tonus thesaurus est illius qui eum in proprio fundo invenit.

2º Si *casu* in fundo alieno invenitur, dimidia pars cedit inventor, dimidia proprietario fundi.

Hoc applicandum est non solum quando reperitur in fundis stricte privatis, sed etiam quando reperitur in iis qui ad Ecclesiam vel Statum, ad normam privatae personae possidentem, pertinent, ex. gr. in agro vel aedificio quod in Ecclesiae vel Status dominio sit, nec publicis usibus permittatur. Attamen, juxta probabilem sententiam quam tueruntur Lessius (de Just. et J. I. 2. c. 5. n. 63), Waffelaert (de Just. I. n. 190), etc. thesaurus qui reperiatur in loco omnium usibus patente, ex. gr. in platea vel via publica, in ecclesia ad nullos privatos pertinente, totus cederet inventor. Potiorem hujus sententiae rationem censemus quod, in isto casu, deficit prae*sumptio* in favorem Ecclesiae, Status vel municipii quod istius loci dominium habeat.

3º Si thesaurus *ex industria* in fundo alieno quaesitus et inventus est, totus tribuitur fundi domino. Ita colligitur e verbis legis civilis (a. 716) quae, ut prae*valeat* jus inventoris supra jus occupantis fundum, requirit ut res abscondita *casu* detegatur. Attamen, cum lex ista videatur lata in poenam illius qui, inscio vel invito domino, in fundo ejus investigationes peregit, poterit inventor, ante judicis sententiam, dimidiad thesauri partem sibi retinere. Si quis autem novit in aliquo agro vel domo latere thesaurum, potest agrum illum vel domum emere pretio communi, nihil dicendo de thesauro qui ibi lateat. Etenim justum rei pretium e *communi* hominum aestimatione desumitur. In hac autem non crescit valor agri vel domus propter thesaurum qui communiter ignoratur. Idem dicendum de vena metalli latente, etc. (Lugo, disp. 6. n. 126)

Punctum III. — De inventione rerum amissarum.

485. 1º Certum est rem amissam manere domini qui eam involuntarie amisit, quamdiu rationabilem spem habet illam recuperandi: sic enim manet moralis conexio inter ipsum et rem suam.

2º Qui invenit rem amissam, ex. gr. crumenam in via jacentem, tenetur *ex caritate* ad curam illius suscipiendam, quando aliter res peritura vel a fure subripienda prae*videtur*.

3º Postquam rei amissae curam suscepit, inventor *ex justitia* tenetur tum ad rem custodiendam, tum ad dominum inquirendum. Hujus obligationis fundamentum est quasi-contractus quem, rem amissam apprehendens, tacite init cum illius domino, vid. negotium ejus curandi sicut illud curaret ipse dominus. Is enim rationabiliter invitus esset quominus res, sine tali obligatione, apprehenderetur.

Hinc contra justitiam peccant non solum illi qui rem inventam temere destructioni vel ablationi exponunt, sed illi quoque qui eamdem abscondunt ne a domino inveniri possit, vel qui ne mediocrem quidem diligentiam adhibent ut dominum detegant. Quanta debeat adhiberi diligentia, id e rei inventae valore, loci consuetudine, etc. mensurandum est. Generatim satisfactum erit puntio in publicis ephemeredibus inserto, quando sat magnus rei valor tale medium adhibendum esse suadebit. (Ball. P. n. 150) Acquirit autem inventor strictum jus ut sibi rependantur expensae quaecumque in domino quaerendo factae; ad ampliorum vero mercedem jus strictum nullum habet, licet eadem ex aequitate, et, facta promissione, etiam ex fidelitate debeat.

4º Si, facta sufficienti diligentia, non videtur jam possibile ut dominus compareat, inventor probabilius rem sibi retinere potest. Ratio est quod in eo casu evanuit omnino possessio prioris domini: quare res, sine probabili spe recuperandi amissa, recedit in eundem statum in quo erat antequam ullus eam apprehendisset. Ita Lugo (de Just. et J. disp. 6. n. 104), S. Alph. (I. 4. n. 603), etc. Ideo tamquam merum consilium proponendum est quod quidam AA. in eo casu opinantur, scil. rem inventam in pios usus impendendam esse ut ita, spiritualiter saltem, prosit domino cui jam temporaliter prodesse nequit. Nam, sublato dominii fundamento, non est cur voluntas prae*sumpta* prioris domini attendatur; insuper merito prae*sumi* posset velle illum ut res a se amissa fiat inventoris in praemium diligentiae adhibitae ad dominum quaerendum. (Strugl, tr. 6. q. 2. n. 24)

5º Quodsi dominus compareret postquam inventor rem aliis tradidisset, distinguendum foret utrum hic eam titulo gratuito an oneroso alienasset. Si enim rem gratis dedit, ex. gr. pecuniam pauperibus distri-

buendo, dominus nihil ab eo repetere potest : siquidem sine culpa talem donationem fecit, bona fide existimans dominum jam non esse comparitur, nec quidquam loco rei alienatae accepit. (S. Alph. l. 4. n. 590) Verum si rem titulo oneroso alienavit, reddere debet domino id quo factus est ditior, cum eam ita aequivalenter adhuc habeat. Videndum tamen num forte per praescriptionem in ejus dominium transierit. E legibus nostris videtur dominus rem suam ab ipso inventore repetere posse per 30 annos. Cfr. n. 492.

Punctum IV. — De bonis derelictis vel vacantibus.

486. Utraque haec bona sunt nullius : priora, quia dominus illa sponte a se abdicavit, puta fructus qui post frugum perceptionem in arboribus relinquentur ; posteriora, quia, moriente domino, nullus habetur heres vel quia heres juri suo renuntiavit. Ex Jure nostro (C. C. a. 539), ad fiscum pertinent bona vacantia et eorum qui sine herede moriuntur vel quorum successioni renuntiatur. Sed haec dispositio, juxta usum receptum et multorum jurispritorum interpretationem, spectat tantum ad bona immobilia vel ad hereditates vacantes; in reliquis bonis mobiliis salvum manet jus primi occupantis. Cfr. Carrière, de Just. et J. n. 285. Cavendum ne tamquam bona derelicta occupentur merces quae naufragio ad littus appulsae fuerint, saltem quandiu naufragis aliqua spes manet eas recuperandi.

§ 2. DE ACCESSIONE.

487. Accessionis jus illud est quod dominus alicujus rei, sive mobilis, sive immobilis, acquirit in ea omnia quae hac re producuntur vel eidem, sive natura, sive arte, accessorie uniuntur. (C. C. a. 546) Complectitur ergo varios modos secundarios proprietatem acquirendi. Brevis de singulis.

I. Accessio per rei productionem.

Plenum dominium secum trahit jus ad rei fructus. Quare ad dominum spectant fructus soli tum naturales, seu sponte e terra nati, tum industriales, seu per culturam producti ; — fructus civiles, ut pretium locationis domus, faenus pecuniae, etc. ; — animalium augmentum et foetus. (C. C. a. 547) Quodsi nascitur animal ex coitu animalium quae ad diversos dominos pertinent, foetus cedit domino feminae, ex vetere axiomate, quod cum naturali generationis ordine plane congruit : *Partus sequitur ventrem.*

II. Accessio in bonis immobilibus.

1º Per *aedificationem, planiationem, sationem*. Regula generalis est, dominium soli secum trahere dominium eorum quae in eodem aedificantur, plantantur, seruntur; quae si, spectatis materia et labore, ad alium pertinebant, facienda erit compensatio.

Speciatim de eo qui in suo fundo materia aliena aedificavit, disponit C. C. (a. 554) solvendum esse materiae adhibitae pretium, domino tamen materiae nullum jus esse ad destruendam aedificationem. Si quis vero materia sua in fundo alieno aedificavit, C. C. (a. 555) distinguit utrum mala an bona fide aedificaverit. Qui mala fide in fundo alieno aedificavit, cogi potest a domino fundi ad aedificium suis sumptibus auferendum; quodsi maluerit dominus aedificium sibi retinere, pretium materiae et laboris solvere debet. Qui vero bona fide egit, ad aedificationem tollendum cogi nequit; domino autem fundi optio relinquitur ut pro aedificio quod acquirit solvat vel pretium materiae et laboris, vel valorem augmenti quod ex illa structura fundo accesserit. Similiter distinguendum est, ubi quis plantat vel serit in agro alieno.

2º Per *alluvionem*. Hac ratione domini agrorum fluiis adjacentium acquirunt proprietatem augmenti quod, aquarum recessu vel terra allata, paulatim eorum agris accedit. Si quando, vi subita, magna pars hujusmodi agri avelleretur et cum alio agro coniungeretur, dominus partis avulsae jus suum per annum vindicare posset. (C. C. aa. 556, 559)

488. III. Accessio in bonis mobilibus.

Praecipua regula est ut ad aequitatem naturalem attendatur, quae jubet ut neuter dominus detrimentum patiatur. Ita C. C. (a. 565), qui tamen varias regulas, tamquam exempla, ad omnes casus solvendos proponit. Sunt autem praecipuae :

1º Si duae res ad duos dominos pertinentes unitae sunt ad aliquod totum constituendum, ex. gr. gemma anulo aureo inserta, licet ab invicem separari possint, tota res pertinet ad dominum rei praecipuae; ista tamen alterum indemne facere debet. Sed si res accessoria, ex. gr. gemma anulo inserta, multo majoris pretii est quam principalis et, domino inscio, usurpata fuit, potest dominus exigere ut, a re principali avulsa, sibi reddatur. (C. C. a. 566 seqq.) Haec vocatur *adjunctio*.

2º Si quis materiam alienam adhibuit ad rem aliis speciei efficiendam, ex. gr. corium ad calceos conficiendos, dominus materiae jus habet ad rem ita effectam, sed pretium laboris solvere debet. Attamen, si labor valore multum excederet materiae pretium, ex. gr. si quis eximius pictor colores alienos ad tabellam pingendam adhibuisset, artifex rem sibi retinere posset, dummodo materiae pretium domino solveret. (C. C. a. 570 seqq.) Haec dicitur *specificatio*.